13

INEXPECTATVM OBITVM
VIRI
PERMAGNIFICI
GENEROSI AMPLISSIMI
MAXIMEQVE STRENVI DOMINI
DOMINI
IOANNIS
WILMSONII

CIVITATIS PATRIAE

PRAECONSVLIS SENIORIS

NEC NON

AERARII STIPENDIATORVM AC

PAVPERVM CVRATORIS

DIGNISSIMI

A. O. R. MDCCLVI. D. VIII. IVN.

PIE PLACIDEQVE

DEFVNCTI

NON SINE MAGNO DOLORE

PROSEQVITVR

GYMNASIVM ELBINGENSE.

ELBINGAE

LITTERIS NOHRMANNIANIS.

WILMSONIVS, major quo non erat Arbiter ullus,
Præsidiumque meum VENERANDOS inter ATLANTES,
Vltimus atque suæ decessit Gentis avitae!
Drusis laetata est, ILLVM quod munere functum
Diverso, semper prudentem repperit ipsa,
Officiisque parem. Laetata est Curia, cujus,
Hoc Patriae Patre & virtutum Judice summo,
Res salvæ, intactae, virides, sartaeque manebant.
Ast nunc extinctum deplorant morte PATRONVM
Omnes & gemitu producunt talia dicta:
Quas TIBI, MAECENAS, grates? Quem reddere fas est
Eximiæ laudis cumulum, dum TV pietatis
Virtutisque gravis, non fucatique favoris
Misisti specimen populi in spectacula vivus?
En TIBI sacramus mentes! En pectora grata!
Quippe prius vitam perdulcem tempora dement,
Quam TE WILMSONIVM poterunt in mente delere.

Supremis honoribus PRAECONSVLIS PERMAGNIFICI moestus ac condolens haec scripsit

IOANNES LANGIVS,
Gymn. Rect. P. P. & Bibl.

Jam

Iam decimus, quod me tenet haec vrbs, voluitur annus,
Quum ferme totidem est CVRIA nuda VIRIS.
Nec desunt equidem, quorum prudentia rebus
Succurrit lapsis, consilioque iuuat;
Ast ipsi vellent, canos superesse, senesque,
Edoctos vsu, conspicuosque VIROS.
Tempore quanta breui tumulantur funera busto,
Quorum facta memor fama per astra vehit.
Exiit haud annus, cum iam PRAECONSVL humatur
Tertius, & lugens patria deflet EOS.
Ah! quanto magni RHODII mors vulnere laesit
Pectora, quae multis usque dolenda manet.
Quis BRAKENHVSII sine luctu ducere vidit
Funereas pompas, exuuiasque sacras?
Eheu! WILMSONII lugubri membra feretro
Nunc composita iacent; quem cecidisse, dolet!
Quis modus, aut finis, tanto indulgere dolori?
Quis desiderio non cupit esse suum?
En, quot virtutes commendauere BEATVM:
Dexteritas, pietas, quae sociata comes!
Iustitiae studium, charitas, grauitasque decora,
Simplicitas, candor pectore & ore nitens.
Quae iactura! DOMVS, viduata PARENTE benigno,
Haec non sola subit tristia damna SVI.
CVRIA vel parte orbata est meliore SVORVM,
Quae prudente VIRO consilioque caret.
Ereptus toti PRAECONSVL amabilis VRBI,
Quem CIVES moerent occubuisse PATREM.
Plangite! sed tamen haud vana spe ludite mentes:
Fata DEVS cunctis mox meliora dabit.

OPTIMVM PRAECONSVLEM virtutibus ac meritis longe
fulgentissimum VENERANDVM SENEM pia mente
L. M. Q. prosequebatur

IOANNES DANIEL HOFFMANN,
Conrector Gymnasii & P. P.

A. Ω.

Sic, Vir Beate, *Patriam afflictam* fugis?
Sic & *Necessitudines?*
Dulces Amicos sic? Et *Universa* sic,
Quæ vana, quæ caduca sunt,
Cunctorum opinione raptus hinc prius,
Cunctis Bonis dolentibus,
Præ cæteris vero Tuis gravissime
Lugentibus nunc deseris?
Incommodo quid mirum abisse tempore,
Si Te dolent *Superstites?*
Quod, queis gravis jactura contigit Tui
Longe absfuisse omnes velint.
Sed numne idem Tibi minus fit commodum?
Immo magis percommodum.
Quodque abfuisse vel diem unum non velis,
(Multo minus mensem) aut duos.
Vix commode multis solet venire mors,
Seu sera, seu cita advenit,
Prævisa tela sive quando jactitet,
Seu non opinantem opprimat.
Id quod nec a *Bonis* abesse novimus,
Labe ut nec hi sua carent,
Morti licet perisse amaritudinem,
Christi sciant doloribus.
Sunt nempe quæ semper super negotia,
Quæque expedita ut sint velint,
Dies novissima antequam illos opprimat,
Datura vitæ terminum.
Illos tacebo nunc, quibus nondum satis
Fuit voluptatis datum,
Qua vanius nil possidet, qua orbis patet,
Nil sol videt nocentius.
His non potest non advenire tempore
Incommodo mors cum venit,
Ingrata, tristis, permoveri nescia,
Invisa tigri attrocior,
Qua nil ferocius videt quicquam Africa
Horrenda, detestabils.
Opinione rectiore præditus
Horam excipis novissimam,

Beate Vir, ducem ad perenne gaudium
Via, qua ſit breviſſima.
Nam qui ſecus? Repleverat præcordia
Jubar perennis luminis.
Hoc incitamento mereri ducto erat
Curæ optime de *Patria:*
De *Charitatibus* mereri & omnibus
Recte gerendo ubivis res.
Carere præmio diutius ſuo
DEUS laborem hunc noluit:
Vitæ innocentiam atque opus pulcerrimum
Digno coronans exitu.
Valete, Manes Optimi, perennibus
Coeli fruentes gaudiis.

p.
M. JACOBVS WOIT,
Math. Prof. & Geom.

Alme DEVS! vixiſſe ſat eſt, WILMSONIVS inquit,
Quid recreet feſſum? quid? niſi longa quies?
Onera ferventis ſatis eſt portaſſe diei,
Triſtis adeſt veſper, jam lubet eſſe domi.
Aſt intercedunt ſuſpiria triſtia: Serva!
O ſerva nobis atque valere jube
Praeſidium, Patrem carum, fidumque maritum
Non ejus, noſtras fac penetrare preces.
Ipſi, non nobis ſatis eſt vixiſſe parentem
Et vitae ſocium, quin Patriaeque decus.
Quid faciat tener ad quaevis bona vota Paternae
Mentis amor? vanas non ſinit eſſe preces.
Sit fido tandem ſatis hic vixiſſe miniſtro
Nunc & abundanter vivere poſſe ſciat.
Et vobis ſatis eſſe volo, confidite dicto,
Ipſe ego. Nonne ſat eſt ſi DEVS ipſe beat?

Obſervantiae ergo
p.
GOTTLIEB THOMAS ACHENWALL,
LL. OO. Pr. Extr. & R. M. C.

Was für ein kläglich Ach! was für ein Jammer-Ton
Muß heute unser Mund nicht lassen von sich schallen?
Der Bürger schönste Zierd und Krone ist gefallen:
Ein hohes Oberhaupt, der Tugend würd'ger Sohn.
Denn wenn man diese will mit ächter Farb erhöhen,
So muß **Herr Wilmson** auch als Muster dabey stehen.

Wer diesen **Herrn** gekannt und Seine Redlichkeit,
Des edlen Geistes Kraft und Dessen selt'ne Gaben,
Der weiß, was wir zu früh an Ihm verlohren haben;
Und darum häuft bey uns sich Trauren, Gram und Leid
Mit Thränen, die sich Ihm als wahre Redner zollen,
Daß nach gemeinem Wunsch Er länger leben sollen.

Zwar kam Sein Tod recht schnell, jedoch unseelig nicht;
Er hatte dessen Furcht schon längstens überwunden
Durch Glauben und Gebet, und in dem Ruh gefunden
Der unser Leben bleibt, wenn gleich das Herze bricht.
Elias, Henoch sind im Sturm zu GOTT gekommen,
Was schad'ts denn, daß man schnell der Erden wird entnommen?

Indessen steht Er nun verklärt vor GOTTes Thron,
Ihm ist ein besser Theil im Himmel aufgehoben,
Er kan GOTT Tag und Nacht in seinem Tempel loben,
Die Seele schmecket nun der Thaten süssen Lohn;
Doch soll Sein Nachruhm stets bey uns im Seegen bleiben,
Den Ehrfurcht und Verdienst in unsre Herzen schreiben.

Dieses setzte aus wahrer Ergebenheit

Johann Heinrich Burchard,

C. & C. G. E.